



D. O. M. A. *XXI.*
DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
PACTIS CON-
TRACTUI AD-
JECTIS,

Quam
Decreto Nobilissimi Iudiciorum Ordinis
in Illustri Gryphica

sub Moderamine
VIRI AMPLISSIMI

DN. JOHANNIS POMERESCHI,
J. U. D. & Professoris Ordinarii, h. t. DECANI
Spectabilis, Cognati ac Præceptoris æter-
num venerandi,

Pro summis in Utroque Jure Hono-
ribus obtinendis,

Publico & solemnè Eruditorum disquisitioni
exhibet

JOHANNES HERCULES, Gryphiswald.

Regii Dicasterii in Pomerania Advocatus,

Ad diem 16. Septembr. Anni M. DC. LVI.

In Hyperoo Curiaë Urbanæ.



GRYPHISWALDI

Charactere Jegeriano per 24. annos.

279

JESU J UVA!
Disertationis Inauguralis
De
Pactis Contractui adjectis

THESIS I.



Quam ex nudo pacto, Jure Ci-
vili, oriri obligationem naturalem, quæ
ad agendum sit inefficax & tantum pa-
riat exceptionem ex *l. 5. §. 2. de solut.*
& *l. 7. §. 4. de pact. inter Eruditiones*
constat. Quamvis enim fides (quæ
in hoc potissimum eminent) sit justitiæ
fundamentum *Cic. Offic. 1, 7* ac sanctis-
simum humani pectoris bonum *Senec.*
Epist. 88. non æquum tamen putavere
Romani, judiciorum necessitate ita con-

Arden. p. 251

stringere libertatem oris, ut quælibet leviter prolata tenerent pro-
missores *Wesenbec. in w. de pact. n. 9.* Multa quippe conciliandæ
magis retinendæq; benevolentia quam obligationis inducendæ cau-
sa homines pollicentur *§. 2. §. de milit. test.* & jactandi gratia pro-
ferunt quæ vix præstari velint *arg. l. ult. de testam.* Nec quietum
fore providebant, ob frequentissimas litigantium cavillationes, tribu-
nal, dum concessa facultate agendi ille conventioni addicere alter
detrahere animum & veritatem, anxie allaborarent, essetq; conven-
tio semper in incerto vid. *Dn. Sutholt. dissert. XII. th. 51.*

THESIS II.

Prætor itaq; qui viva vox Civilis & adjuvandi vel supplendi vel
corrigendi Juris gratia constitutus *l. 7. de Just. & Jur.* quali miseris
fidei humanæ, quæ in nudis pactis vacillabat, succurrere iis voluit, sed
saltem dedit exceptionem *l. 7. §. 4. de pact.* melius Romani qui stipu-
lationem deliberati animi signum introduxerunt *H. Grot. lib. 2. c. 11.*

A 2

n. 4.

n 4. de Jure b. & p. eoq; robore confirmarunt pacta quò virtutem generandi actiones obtinerent, l. 27 §. 2 ff. de pact. ac levitas eorum coerceretur, qui fidem fallere non erubescerent contra l. 1. ff. eod. Neque tamen solis stipulationibus hos tribuere effectus, verum etiam, si quæ lex conventionibus adisteret vel edictum Prætoris confirmaret, merito ad producendas actiones proclamabant efficaces l. 6. ff. de pact. Idem de adjectis pactis asserendum, quæ sive bonæ fidei sive stricti juris contractibus in continenti non ex intervallo addita, illis inerant & ex his legitima Juris via licebat experiri. Quod uti latius pro ingenii mediocritate & quantum per aliquot horas ob occupationes licuit, deducam, ita à Definitione sic auspicabor.

THESIS III.

Pactum adjectum est conventio vestita ob coherentiam contractus Jure Civ. producens obligationem l. 7. §. 5. ff. de pact. Non incommode vicem generis sustinebit, quod posuimus, Conventionis nomen. Quamvis enim pari insigniatur vocabulo pactum, ut apparet ex l. 3. pr. ff. de pollicit. l. 15. ff. de præsc. verb. diffidendum tamen haud est, illud qua specialiter significat nudum, non Synonymum esse sed haberi ejusdem speciem l. 27. C. locat. cum vox Conventionis proprio & genuino sensu generalis sit, omnibusq; tam pactis nudis quam vestitis applicetur ac contractus distractusq; contineat l. 7. pr. ff. de pact. Hinc quia pactum hoc vicem speciei subit, rectissime de eò prædicatur recteq; convenire dicuntur qui paciscuntur non contra, prout deducit Vultej. l. Jurispr. Rom. 28. n. 1. & 29. n. 8. Cæterum vestitam hanc diximus conventionem, secus ac voluit Clarus. Dn. Hahn. innot. ad Wesenbec. p. 247. qui nudam finit. Non quasi ex sui natura fomentum habeat, (nuda quippe est in se ac nomine & causa destituitur) sed quoniam assistentia contractus fovetur, ut ita nuda non sit propter expr. tx. in l. 1. C. de pact. conv. arg. l. ult. C. de pact. inter empt. imo contractus ipsi ceu negotium ac causa subest ac propter connexitatem pars hujus quasi constituitur Bachov. ad Tr. 1. 6. 10. lit. f.

THESIS.

T H E S I S I V.

Dividitur in detrahens l. imminuens & adjiciens seu augens l. 27. de contrah. empt. & l. 23. de R. I. Illud vocatur non per quod ab ipso contractu plane receditur ut voluit Cujac. ad lib 10. quæst. Pap. sed potius quo aliquid aufertur de obligatione vel actione ut minus agi possit Dn. Hahn. ad Wesenb. tit. de pact. n. 9. p. m. 257. Unde videmus Rei conditionem heic fieri semper leviozem Ritt. ad l. 23. de Reg. Jur. c. 16. p. m. 212. Exemplis res fit illustrior. l. 3. §. 2. ff. de collat. bon. v. g. Scimus in emptione venditione receptum, ut vitia rei venditæ præstentur vel ob ea redhibitio fiat t. t. ff. de Ædil. Edict. & redh. potest tamen inter contrahentes convenire ne fiat redhibitio & ne quicquam hoc nomine præstetur à venditore l. 31. ff. de pact. dot. Sic pactum valet ut maritus de periculo dotis æstimatæ non teneatur sed dos sit periculo mulieris, quod alias omiſſa hac conventionem pertineret ad Maritum l. 6. ff. de pact. dot. Hoc vero quod augens si- ve adjiciens vocavimus, est quo aliquid si- ve ad substantiam si- ve ad ad- minicula contractus additur ut augeatur, ampliusq; ex eo agi possit, quam antea licebat. Quare hoc Actoris partes fovet, ipsiusq; cau- sam efficit meliorem vid. Bachov. ad Tr. l. 6. 10. lit. f. Hotom. quæst. Illust. q. 36. e. g. In deposito non tenetur depositarius nisi de dolo & lata culpa §. 3. Inst. de oblig. quæ re contrah. Sed si pacto se ob- strinxerit etiam ad culpam præstandam, rata erit conventio & jam arctius & ad plus obligabitur depositarius quam si non fuisset pactus l. 1. §. 6. ff. de pos. plura exempla vid. apud Hotom. allegat. loc.

T H E S I S V.

Adjiciunt pacta qui natura vel lege pacisci non prohibentur. Removentur verò natura Infantes, cum intellectum non habeant, §. 9. Inst. de inut. stip. furiosi, quippe dormientibus & absentibus comparantur l. 17. de injur. Muti & surdi, tum quoniam consen- sum non possunt exprimere licet habeant, tum quia difficillimè cum iis negotia peraguntur. l. 1. §. pen. & ult. de O. & A. Lege arcen- tur pupilli, d. §. 9. Inst. de inut. stip. qui sine Tutoris autoritate nec naturaliter quidem obligantur, l. 59. de O. & A. l. 41. de condict. in- deb. nisi locupletiores facti, l. 5. princ. & §. 1. de Auth. Tut. vel de alterius agatur præjudicio scil. Creditoris, §. 3. Inst. quib. mod. toll.

*Aff. Anton p. 41.
N. Vazquez
p. 384.
Bachov. p. 10. l. 1.
233.*

obl. Fidejussoris, l. 127. de V. O. heredis, l. 25. §. 1. *quand. dies legat.*
 vel dolosè in contractu versati sint, l. 1. §. 15. *depos.* cum tunc malitia
 suppleat ætatē, l. 3. *C. si minor, se Major, dix.* prout intricatas hac in
 re Doctor. subtilitates solidè componit Ampliss. Dn. Ludwel. in di-
 sput. ad Inst. 3. q. 7. p. m. 48. Minores quoque, si curatores habe-
 ant, regulariter pacta addere sine consensu horum impediuntur, l. 3.
C. de in integ. rest. ut & prodigi, quibus à Magistratu bonis in-
 terdictum, l. 10. l. 16. §. 1. *de Curat. fur.* nihil agere vel contrahere
 possunt, cum non magis velle ac furiosi intelligantur. l. 40. *de R. J.*
 Nam ut illi sana mens ita his sani mores desunt, l. 1. *de Curat. fur.*
 unde furiosum exitum facere dicuntur. l. 12. *de Tut. & Curat.* In-
 quibus omnibus recensendis nolimus esse prolixiores, cum sufficien-
 ter ab Authoribus, qui de pactis scripsere, enarrata sint. vid. poterit
 Treutl. l. 6. §. per tot. & ibid. Bachov. Wesenbes. w. n. 5. & in annot.
 Hahn. p. m. 244.

THESIS VI.

Additur vero hoc pactum Contractibus vel incontinenti vel ex
 intervallo l. 13. *C. de pact.* l. 7. §. 5. ff. *eod.* In continenti alias spatio-
 um aliquod complectitur pro diversitate materiæ l. 1. §. 8. *ad l. Falcid.*
 vel aliquot horas l. 23. §. *fin.* *ad l. Zul. de adult.* vel triduum signifi-
 cat l. *fin.* *C. de error. Advoc.* Heic vero non tantum id quod in in-
 gressu vel ipso limine contractus fit l. 24. *C. de Evict.* ut Borcholt. *de*
pact. c. 6. n. 4. §. existimat, sed etiam illud quod in continenti post
 contractum perfectum & absolutum apponitur *arg. l. 25. §. 4. ff. d.*
V. O. sive ut Ictus loquitur, quod contractum in continenti subse-
 quitur *d. l. 7. §. 5. ff. b. t.* sive quod contractui subjectum l. 40. *de*
Reb. Cred. Modicum n. tempus ei non obest l. 12. *pr.* dummodo pa-
 ciscentes ad alios extraneos actus non diverterint *arg. l. 6. §. fin. de*
duob. reis. stip. Ex post facto sive intervallo interposita ea dicun-
 tur, quæ post mediocre aliquod tempus adjecta sunt, l. 135. *d. V. O.*
 cum contrahentes à negotio isto ad alia jam disceserint l. 6. §. *fin.*
de duob. reis. Bachov. ad l. part. Pandect. p. m. 580.

THESIS VII.

Postquam vidimus quando addantur hæc pacta consequēs erit,
 adungere materiam Illorum sive illa de quibus adjiciuntur. Quod
 ut

ut eò feliciter procedat præmittemus, quod alia sint Substantialia, alia Naturalia, alia Accidentalibus sive Adminicula contractuum l. 7. §. 5. ff. de pact. Substantialia sunt, quæ contractum ipsum constituunt, & quibus sublatis ipsum extinguere necesse est l. 9. §. 3. ad Exb. quemadmodum in stipulatione interrogatio & in continenti facta congrua responsio l. 1. de V. O. In emptione merx & pretium §. 2. ff. de Empt. Vendit. Naturalia sunt quæ contractum constitutum sequuntur, & legis autoritate illi insunt. Eaque vel interna vel externa. Interna sunt quæ substantiam negotii immediate & necessario sequuntur, adeoque perpetuò insunt, veluti in emptione rei traditio & domini translatio l. 8. §. ult. de contrah. empt. in societate participatio damni l. 29. §. 2. pro soc. Externa dicuntur quæ ex consuetudine & juris communis dispositione quidem insunt ita tamen ut salvo contractu etiã abesse possunt e. g. ut in Emphyteusi interitus & damnum totale ad Dominum, particulare ad Emphyteutam pertineat §. 3. ff. de locat. & cond. Denique Accidentalibus quæ extra naturam sunt contractus ut loquitur Ulp. in l. 7. §. 5. de pact. & quæ possunt adesse vel abesse & saltem pacto contrahentium adjiciuntur, sc. ut in deposito præstetur omne periculum l. 7. §. 13. ff. de pos. ut in mandato interveniat honorarium l. 6. pr. mandat. quamvis natura gratuitum sit l. 1. §. fin. ff. eod. Quæ omnia elegantissime explicavit Dn. Ludwel. Præceptor quondam in Altorphina laude dignissimus in MMscriptis thesib. ad Pandect. Disput. XII. tb. 34. 35. & seqq.

THESIS VIII.

Hiscæ ita positis breviter dicemus. Pacta contra substantiam contractus apposita sive ex intervallo sive incontinenti, evertunt contractum & in aliud genus transformant l. 72. de contrah. empt. junct. l. 6. de præscript. verb. c. g. Depositi indoles est ut eadem res in specie restituatur sive idem corpus, ut sacculus iste pecuniæ obfignatæ plenus; Jam si contractui adjiciatur talis conventio, ut non idem reddatur, sed tantumdem, vel etiam cum usuris, hujusmodi pactiones etiam contra naturam & substantiam depositi excedunt modum pecuniæ depositæ sive notissimos Depositi terminos l. 24. l. 26. §. 1. ff. Depos. Rittersh. in comment. ad l. 23. de R. J. p. m. 216. Si vero contra naturam internam & inseparabilem adjiciuntur solum, pact a

pacta vitiantur, naturâ contractus existente salva & pro non adjectis
 habentur. Exemplum in societate, quæ adeo morte solvitur ut
 nec ab initio pacisci possimus, ut heres etiam succedat societati, pro-
 ut loquitur Pompon. *in l. 59. pro soc. jung. l. 14. § 8. eod.* ubi aliud e-
 xemplum habebis. Quod si vero contra externam naturam quid
 convenerit, pactum valebit, & natura Contractus immutabitur *l. 23.
 de R. J. idemq; de accidentalibus asserendum, in his enim verum,
 quod conventio det legem contractui d. l. 23. de R. J. l. 52. de V. O.*
 Aliter distinguit *Dn. Hahn ad Wesenb. p. 259.* Ex supra vero dictis
 satis intelligitur nos tantum loqui de pactis non quæ substantiam vel
 naturam internam & inseparabilem respiciunt sed de iis solum quæ
 naturam externam concernunt, ac circum adminicula versantur. De
 his n. verum est quod in continenti producant obligationem.

THESIS IX.

Nunc ad horum pactorum effectum descendemus de quibus
 certæ erunt concinnandæ regulæ: Sit prima talis. Pacta ex in-
 tervallo adjecta non pariunt petitionem sed excepti-
 nem *l. 13. C. de pact.* Pacta quippe hæc per se consistunt ac nu-
 da habentur, nullasq; vires accipiunt à cohesionem contractus, unde &
 nudorum vires tantum assequuntur ex quibus Jure Civili actio non
 nascitur *l. 7. § 5. ff. de pact.* nec videri possunt contractus partes,
 quum longo post intervallo ubi ad alia jam discesserint contraheentes
 adjecta fuerint. Tractat hanc materiam *Jctus in l. 72. de contrah.
 empt.* cujus accuratam resolutionem subjicit *Dn. Tabor. in Elem. Ju-
 rispr. p. 3. sect. 3. th. 39.* Altera erit ejusmodi. Pacta in conti-
 nenti adjecta insunt contractibus, ac actionem produ-
 cunt. *l. 7. § 5. ff. de Pact.* Insunt h. e. informant *l. 10. C. de
 jur. dot.* dant legem conventioni *l. 23. de R. J. l. 52. d. V. O.* & jus
 actoris adaugent *l. 13. C. de pact.* Rat. Sunt n. veluti pars eorum, con-
 tinentur & insunt cuiq; contractui & ejus actionem producant *l. 72.
 de contrah. empt. l. 6. § 1. de Act. E. Dd. communit.*

THESIS X.

Quod diximus pacta in continenti adjecta, prodesse ad excer-
 cendas

cendas actiones communis haud dubie sententia est de bonæ fidei contractibus, an idem sentiendum de stricti juris, non una Dd. opinio est. Nos & illa his inesse subjectis rationibus moti firmiter credimus. Aperte enim *l. 4. §. ult. ff. de pact.* affirmat pactum adjectum stipulationi inesse, quæ autem insunt legem contractui dant & actionem, informant ut *ex l. 7. §. 5. ff. de pact. & l. 1. §. 6. depos.* demonstravimus (2.) Suffragio J Cti Ulpani firmatur sententia, dum in stipulationibus conventionalibus contrahentes formam contractui dare expresse scribit *in l. 52. d. V. O.* quod nihil aliudquam legem dare & contractum adeoq; actionem ex eo alias descendente parere, arg. *l. 23. de R. F.* Cum quo (3.) Impp. Dioclet. & Maxim. conspirant qui rescribunt pactum sive antecessit stipulationem sive post statim interpositum inesse *l. 27. C. de pact.* Et quamvis Dissidentes varie d. l. interpretari conentur, tamen clara ipsius verba hoc præ se ferunt, quod pacta stipulationi apposita ad instituendam actionem omnino prosint. vid. *Godd. de contrah. stip. c. 8. n. 66.*

THESIS XI.

Acquiescere possemus his fundamentis nisi J Ctus summus *Cujac. in l. 7. §. 5. de pact. & X. obs. 21.* ac qui etiamnum ejus opinionem tenent, his argumentis se opponerent. (1.) propter *l. 13. C. de pact. l. 7. §. 5. ff. eod.* à contrario sensu (2.) quod hæc tantum à parte rei insint. Verum his nequicquam moveri possumus. Argumentationem enim à contrario sensu contra expressa legum verba procedere non posse unanimis & constans DD. conclusio vid. *Everh. in Top. loc. à contrar. sens. n. 4. p. m. 454.* imprimis si quæstio sit de legibus Codicis, ut Interpretes communiter statuunt. Nec incognitum *in l. 13. C. h. r. & l. 7. §. 5. ff. de pact.* quibus innituntur mentionem fieri bonæ fidei contractuum non ideo quasi stricti Juris excluderentur, sed quoniam exempli loco allati quod *in l. 7. §. 5.* insinuat particula *Ut* quæ ibi habetur & indubitato exempli nota est. Et cur hic non obtineret vulgatum DD. axioma Unius inclusionem non esse exclusionem alterius vid. *Bachov. ad Tr. l. 6. p. 26.*

THESIS XII.

Nec quod secundo loco afferunt, quasi sc. à parte Rei tantum
B hæc

hæc pacta insunt, si accuratius discutatur, valebit. Fovet quidem eandem sententiam *Cunrad. Rittershus.* clarissimum in literis humanioribus & Jurisprudentiâ Nomen in *comment. ad l. XXIII. de Reg. Juris c. 16. p. m. 214. propter l. 40. de reb. cred.* & hanc rationem diversitatis, quod in contractibus strictis omnia, stricte accipienda, ita ut nihil quicquam in stipulationem deductum intelligatur, quod non sit comprehensum ipsis verbis stipulationis *l. 99. d. V. O.* In b. f. vero contractibus laxior sit æquitas & bona fides, quæ ibi magis dominetur. Cœterum palliant non defendunt rationes illæ. Nam quod attinet *l. 40. de reb. cred.* ubi reo pactum prodesse dicit non actori, respondendum id fieri propter conditionem & naturam pactorum, quæ non nisi reo prodesse queunt, minus tamen recte ex eo argumentaberis quod non prosint actori *Bachov. ad l. Part. Pand. tit. de pact. adj. n. 4. p. m. 585.* Deinde detraxit ibi ita pactum ut aliquid iterum adjecerit, quippe ut committeretur pœna promissa ex singulis pensionibus effecit. Nec novi quid statuisset Paulus à cæteris, qui vim excipiendi illis tantum concedebant, si concepisset regulam de pacto saltem detrahente, cum hoc non alio modo, quam per facultatem excipiendi & repellendi actorem insit, nec actori utilitatem conferat sed obfit. Paulus autem contendit, ex parte etiam actoris inesse ut proficiat, Ut ergo insit non eximendo reum sed obligando adstringendo & quoad vim agendi necesse est. *Ampl. Dn. D. Francisc. Stypmann. p. m. olim hujus Academiæ Antecessor Cognatus noster desideratissimus in Disput. Inaug. ad d. l. 40. de reb. cred. tb. 22.*

THESIS XIII.

Vix etiam diversitatis ratio, quam dedit *Dn. Rittershus.* stringet Largimur enim laxiorem esse contractuum b. f. quam stricti Juris naturam, sed ex eo minus recte inferri asserimus, pacta contractibus stricti Juris licet in continenti adjecta, non inesse. Nam illa b. f. contractibus non ideò insunt, quod laxiorem habeant naturam, sed quod in continenti adjecta sint, adeoq; partem ejus constituent uti supra declaravimus. Nec movet, quod quicquid in stipulationem deductum non est, omisum intelligatur secundum *l. 99. d. V. O.* Nam hoc non intelligendum de eo quod pacto in continenti adjecto cautum, quia hoc pro expresso habetur *l. 4 in f. de pactis* sed tantum extensionem

onem excludi per officium judicis, per quod in b. f. judiciis veniunt
etiam ea de quibus expresse actum non est §. si 7. 3. de oblig. ex con-
sens & l. 7. de negot. gest. Bacchov. ad Tr. I. 6. 9. lit. A. Propius ita-
que verò etiam hæc à parte Actoris prodesse uti evincit l. 4 §. fin ff.
de pact. ubi Ulpianus expresse respondet, pactum stipulationi inesse
ac si ea expressum fuisset, quod si a. conditio ista in stipulatione ex-
pressa fuisset, procul dubio ex parte actoris inesse diceretur ac actio-
nem informaret; imo & hoc ipsum pactum alio respectu auget sti-
pulationem quatenus se in solutione pensionis cessatum fuerit, ag-
gravat & auget obligationem ut ob defectum conditionis pacto com-
prehensæ commissa sit stipulatio & parata executio. Godd. d. c. 8. de
contrab. stip. n. 50. in f.

THESIS XIV.

Quoniam hæc ita evicimus ulterius inquirendum an quod dictum
de Stipulatione idem in Mutuo obtineat? Equidem subtilissimus
Bacchov. ad Tr. I. 6. th. pen. lit. a. & in Comment. ad I. part.
Pand. p. m. 583. inter contractus stricti Juris mutuum & stipulatio-
nem distinguit ut huic demum non illi pacta ad actionem profint. Id-
que ex duplici ratione, quæ faciat, quo minus pacta in continenti quo-
que adjecta nequeant aut non facile possint inesse contractibus (1.)
quod re ineantur unde vix possit fieri, ut quis plus debeat & reddere
cogatur quam accepit l. 17. in pr. ff. de pact (2.) quod eorum stricta
sit natura, quæ ad pacta non recipiat extensionem. Ubi ergo utrumque
impedimentum deest, ut in contractibus consensualibus facilius & fre-
quentius pacta inerunt, ubi altera deest ratio insunt quidem sed rarius
& difficilius ut in b. f. contractibus realibus & stipulatione, quæ pa-
cto inter præsentis facta, propter hujus eum illa affinitatem in for-
mari poterit arg. l. 7. §. 10. ff. de pact. Ubi denique utrumque con-
currit impedimentum veluti in mutuo simpliciter pactum inesse ne-
gandum erit. Hæ rationes Bacchovii quibus mutuo pacta non in-
esse contendit. Ast si dicendum, quod res est, vix illa distinctio rem
expediet obtinebitq; quod intendit Vir alias accuratissimus, cum mu-
tuo etiam pacta inesse posse dicendum videatur, imo contraria ei non
sint, veluti si usuræ pecuniæ creditæ pacto promittantur l. 24. de præ-
script. verb. l. 3. C. de Usur. & l. 30. ff. eod. Ita permissum mutuo

B 2

pactum

pañtum de pignore & antichrefi in continenti adjicere ut infit *l. 14. C. de Vfur.* item caveri pacto poteft, ut vetus vinum pro novo adeoque melius pro viliori reddatur. *arg. l. 3. ff. de Reb. cred.* Regerit quidem *Bacchor. d. l. 3.* tantum de eo agere quod alias mutuo ineft citra ullam pañtionem vid. Eum ad *Tr. d. l. lit. a & b.* Respondemus v. quamvis hoc ita fit tamen ex eadem jñcta *l. 12. & 23. de Vfur.* hoc quoque elici quod caveri pacto prohibitum non fit, ut vinum vetus pro novo adeoque melius pro viliori reddi debeat.

T H E S I S X V.

Nec quæ in adverfam partem allata funt, fi dextre perluftrantur, officiunt Etenim ad *l. 17. de pañt. & l. 11. §. 1. ff. de reb. cred.* cæterosq; *ix.* respondemus pactum mutuo non inefle, non quod mutuum contractus ftricti juris fit, fed quia pactum ita comparatum ut mutuum illud commode recipere nequeat; quippe ufurarium eft. Mutuum a tanquam re contractum, & præterea gratuitum ufuras imprimis pecuniæ numeratæ tanquam odiofas non admittit per *ix.* alleg. Infringere quidem laborant hanc refponfionem difsentientes regerendo, quod & depositum re contrahatur §. 3. *J. quib. mod. re contrah. obligat.* & gratuitum fit *l. 1. §. 8. ff. de pos.* & tamen ex pacto ufuras recipiat *l. 24. l. 26. eod.* Sed & hunc excipere poftumus actum & retorquere, dum non omnium contractuum gratuitorum eandem efle naturam affirmamus *arg. l. 6. pr. mandat.* & in deposito etiam ex mora ufuras deberi *l. 24. ff. de pos.* ideoque nec mirum fit fi etiam fi mutata fuerit ejus natura, ufuræ tamen ex pacto debeantur *d. l. 24. & l. 26. ff. de pos.* Nec facefcit negotium, quod in fpecialibus cafibus admiffum fit pactum ufurarum *l. 12. l. 23. C. de Vfur. l. 30. l. 5. l. 7. de Nautic. fañor.* Dicemus enim fieri id vel propter incerti precii rationem *l. 23. de Vfur.* vel propter bonum publicum in *d. l. 30. eod.* vel ob pecuniæ trajectitiæ periculum *l. 5. cujus intuitu fingularia conftituta efle fe quis eft qui nescit? r. r. ff. & C. de Nautic. fañor.*

T H E S I S X V I.

Reftat nunc ut quoniam demonftravimus actionem nafci ex adjecto pacto, qualis ea fit dicamus, num vetus ex contractu defcendens pacto informata an nova præfcriptis verbis. Pofterius voluit

gloffa

glosa & cum ea Duarenus ad l. 7. §. 5. ff. de pact. Nos prius. Idque non quasi dissensio fuerit inter Jctos Sabinianos & Proculianos uti perhibet Dn. Hahn. ad Wesenb. de præscript. verb. n. 8. p. m. 685. sed quia d. l. 7. §. 5. ff. de pact. docet pacta formare actionem & ex ipso contractu eam accipere cui insunt, ubi autem alia actio competit præscriptis verbis regulariter dari non solet l. 1. & 2. de præscr. verb. confer. Dn. Besold. in delib. Jur. de pact. 17. p. m. 218. (2.) quia certum est quod pactum in continenti adjectum pars sit contractus, adeoq; actionem ex contractu non aliam producere possit l. 75. l. 79. de contrah. empt. l. 4. in pr. de leg. Commiss. (3) hæc sententia per l. 6. C. de jure dot. confirmatur. Et si novam actionem parent pacta non alia ratione id facerent, quam quatenus constituerent contractum quodammodo innominatum, ut ipsi contractus pro factis aut dationibus haberentur quibus pacta adjecta essent. Quo posito quævis pacta essent utilia, quod quam absurdum & juri nostro inconueniens sit quilibet agnoscit. Uti & illud, ut contractus formati & actus nobiliores, pactis nudis, quæ sunt indigniora, instar caulæ substernerentur. Bacch. ad pr. part. ff. cap. de pact. adj. n. 6. p. m. 589. & confer. Eund. ad Tr. l. 6. 10. lit. C. p. 264.

THESIS XVI.

Claudat denique agmen & disputationi nostræ imponat finem nobilis inter Conditores Juris disquisitio, An actio b. f. pacto informata maneat talis an vero stricti Juris judicii naturam assumat? Credidit glossa ad d. l. 7. §. 5. ff. de pact. actionem istam stricti juris fieri, cum pactum adjectum strictæ naturæ sit, actionemq; præscriptis verbis quæ ejusdem indolis habetur §. 28. Inst. de Act. producet, Cum itaque non vetus, argumentatur, ex contractu descendens in hujus locum succedat, nec facile quis diffitebitur eam in stricti Juris naturam degenerare, cum certum sit quod surrogatum semper sapiat conditionem ejus in cuius locum succedit l. 10. §. fin. ff. si quis caut. in jud. Firmior tamen ratio negandi exinde profluit, quod pactum in continenti adjectum ejus pars fiat adeoque alio jure quam contractus ipse censeretur non debeat arg. l. 76. ff. d. R. V. & quamvis pactum alias natura sua stricti juris sit, tamen quoniam contractui bonæ fidei in continenti adjicitur, merito ejus naturam adsumit,

mit, cum semper accessorium naturam sui principalis sequatur *l. 129. §. 1. & l. 178. ff. de R. J.*

Arridet enim hæc magis quam cæterorum Interpretum probatio, qui actionem bonæ fidei manere neque pactum adpositum eam convertere posse in stricti Juris judicium demonstrare ex *l. 2. C. de pact. int. emptor.* contendunt. Veniunt enim, inquit, ibi ex actione pacto informata fructus à tempore moræ, secundum qualitatem actionum bonæ fidei, *l. 32. §. 2 ff. de Usur.* cum in stricti Juris judiciis deum à tempore litis contestatæ debeantur *l. 38 §. 7. 7. ff. de Usur.* Nam non satis evincere videtur ista assertio, quod Dd. intendunt, idq; ex duplici ratione, partim quod regula allegata sc. in stricti Juris actionibus non deberi fructus à tempore moræ fallat in omnibus casibus in quibus quis suum pet. t vel sibi debitum quod ante ipseus erat. quo sensu accipienda *d. l. 2. C. de pact. int. empt. & Vend.* ut fructus post moram debeantur, non quia actio bonæ fidei est sed quia actor id petit quod antea ipsius fuit, partim quod in stricti Juris judiciis etiam interdum fructus & usuræ à tempore moræ debeantur *l. 39. ff. de Usur. l. 23. de legat. 1.* Superest ut ad supra motam rationem dubitandi respondeamus, quod facillimum erit; Præsupponit n. ea ex pacto in continenti adjecto actionem præscriptis verbis nasci, quod recipiendum non esse præcedens declaravit thesis, nec debet principale accessorii naturam sequi sed potius accessorium principalis conditionem & qualitatem *c. 4. de R. J. in 6. t.* Et hæc pro ratione temporis de subtili ac difficili hac materia diservisse in præsens sufficiat.

SOLI DEO PERENNIS GLORIA.



COROL.

COROLLARIA sunt
ex Jure Civ.

I.

Jurisdictio etiam de criminalibus in Jure nostro
prædicatur.

II.

Filiusfamilias de bonis adventitiis in quibus pa-
ter usum fructum non habet testari prohi- *Unger. p. 325.*
betur.

III.

Fidei Commisarii Universales in testamento
nequeunt esse testes.

IV.

Mater liberis pupillariter substituere non pot-
est

V.

Dominium proprie rerum incorporalium est. *Hahn p. 484. w 48*

VI.

Fidejussor renunciatione beneficii Divisionis
heredibus præjudicat.

VII.

Jus accrescendi exserit quoque se in verbis
Conjunctis. *V. p. 343.*

VIII.

Suspectus Ordinarius Judex recusari potest.

Ex

Ex Jure Canonico.

Causæ Crîminales non possunt hoc jure deligari.
Pacta nuda ne hic producant actionem. *Waller. p. 259.*

Ex Jure Feudali.

Vasallus Naturaliter possidet.

Naturales liberi per subsequens matrimonium
legitimati non succedunt in feudis.

Ex Jure Publico.

Malé Rævardus Jus publicum per legum Regi-
am sublatum putat.

Civitates Imperiales Status Imperii esse est ve-
rissimum.



Waller. p. 26.

99 A 6917

ULB Halle

3


002 546 884




Handwritten mark

VJ 17 Retro ✓





s lafe
; Do
ac er
non
ultri
lio fa
propu
equi j
quas
icis a
rimo
agno
mgi
o, Wi
is uni
zovic
ERO.
s eum
EVELL
m al
amici
n Jur
ur in
& ar
rudi
t, & i
m ob
ostræ
r obt
in led
ri ex
atam,
egyri
deduc
REM,
oratis
CON
nos,
antisf
bferve
P. f
Sep



D. O. M. A. *xxi.*
DISSERTATIO INAUGURALIS
DE
PACTIS CON-
TRACTUI AD-
JECTIS,

Quam
Decreto Nobilissimi Ictorum Ordinis
in Illustri Gryphica

sub Moderamine
VIRI AMPLISSIMI

DN. JOHANNIS POMERESCHI,
J. U. D. & Profesoris Ordinarii, h t. DE CANI
Spectabilis, Cognati ac Præceptoris æter-
nùm venerandi,

Pro summis in Utroque Jure Hono-
ribus obtinendis,

Publico & solemnè Eruditorum disquisitioni
exhibet

JOHANNES HERCULES, Gryphiswald.
Regii Dicasterii in Pomerania Advocatus,

Ad diem 16. Septembr. Anni M. DC. LVI.
In Hyperoo Curia Urbanæ.



GRYPHISWALDI
Charactere Jegeriano per 24. annos.

270

